

## Opisthotaenia fulvipes Reut.

*Diagn.*: Superne canescens, nitida; vertice puncto utrinque ad oculum, fronte maculis duabus arcuatis, clypeo basi vittisque duabus longitudinalibus, his signaturis omnibus interdum ( $\sigma^7$ ) confluentibus, loris, pronoto callis totis fasciaque mox pone tertiam basalem partem fere usque ad margines laterales extensa, scutello basi, marginibus maculaque percurrente triangulari, inferne xypho prosterni medio, vitta lata episternorum pronoti, lateribus meso- et mestatethii, marginibus mesostethii exceptis, limbo basali segmentorum ventralium (maris latius) apicalibusque segmenti ultimi genitalis feminae, marginibus tamen exceptis, nec non segmento maris genitali toto nigris; hemielytris nigro-pubescentibus (pilis facile divellendis), venis omnibus lineaque venis parallela inter venas cubitalem et brachialem nigris vel nigricantibus; membrana cum areolis obscure fumata, venis canescentibus; macula utrinque basali scutelli, antennis pedibusque fulvis, illis articulo secundo ipso apice ultimisque nigricantibus, his nigro-pubescentibus, femoribus inferne serie punctorum fuscorum, tibiis apice tarsisque nigris. Long.  $\sigma^7$   $5\frac{3}{4}$ ,  $\text{♀}$  5 mm.

*Hab.* in Caucaso (in valle Araxes!), D. Leder (Mus. Vindob.); in Asia minore (Amasia!), comm. D. Dr Puton.

*Descr.*: Caput vertice oculo circiter dimidio ( $\sigma^7$ ) vel duplo ( $\text{♀}$ ) latiore; latitudine verticis oculique unci vix longius. Rostrum piceum, articulo primo fulvescente. Antennae articulo secundo margine basali pronoti circiter  $\frac{1}{4}$  ( $\sigma^7$ ) vel  $\frac{1}{3}$  ( $\text{♀}$ ) brevior, duobus ultimis simul sumtis secundo parum longioribus. Pronotum disco nitido, omnium subtilissime remote punctato, punctis in  $\text{♀}$  saepe nigricantibus, apice tamen toto laevi. Scutellum remote et subtilissime fuscescenti-punctatum, leviter rugulosum. Hemielytra densius subtilissime punctulata, punctis saepe nigricantibus.